



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

4 V. debuerit in Iordane baptizari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

ne, & alijs similibus reperta est, verisimile esse Christum non fuisse illis usum. Adde præterea baptis-
ma illa legalia non potuisse ab omnibus proprio ar-
bitrio exerceri, sed ad aliquam purificationem ab
immunditijs legalibus. Quia ergo Christus nulla pu-
rificatione indiguit, neq; immunditiam legale con-
traxit, idcirco necesse non fuit, illis baptis-
matibus uti.

ARTICVLVS III.

*Utrum Christus conuenienti tempore fuerit bap-
tizatus.*

216.
4 d. 4. q. 2.
art. 1 q. 2. 1.
d. 4. 4. in
prin. exposi-
tionis litera.



AD tertium sic proceditur. Videtur, quod
non conuenienti tempore Christus fuerit
baptizatus. Ad hoc enim Christus bap-
tizatus est, ut suo exemplo alios ad bap-
tismum prouocaret. Sed fideles Christi lau-
dabiliter baptizantur, non solum ante trigessimum annum,
sed in infanti etate. Ergo videtur, quod Christus non debue-
rit baptizari in etate triginta annorum.

2. Præterea Christus non legitur docuisse, vel miracula
fecisse ante baptismum. Sed vtilius fuisset mundo, si priori
tempore docuisset, incipiens a vicesimo anno, vel etiam prius.
Ergo videtur, quod Christus, qui pro vtilitate hominum ve-
nerat, ante trigessimum annum debuerit baptizari.

3. Præterea, iudicium sapientie diuinitus infuse, maxime
debeuit manifestari in Christo. Est autem manifestatum in
Daniele tempore sue pueritiæ: secundum illud Daniel 13. Su-
scitauit Dominus spiritum pueri iunioris, cuius nomen Da-
niel, ergo multo magis Christus in sua pueritia debuit ba-
ptizari, & docere.

4. Præterea, Baptismus Ioannis ordinatur ad baptismum
Christi, sicut ad finem. Sed finis est prior in intentione, &
posterior in executione, ergo vel Christus debuit primus a
Ioanne baptizari, vel vltimus.

Sed contra est, quod dicitur Luc. 3. Factum est, cum ba-
ptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante: &
infra. Et ipse Iesus erat in ipiens quasi annorum triginta.

Respondeo dicendum, quod Christus conuenienter fuit in
trigesimo anno baptizatus. Primo quidem, quia Christus ba-
ptizabatur quasi tunc incipiens docere, & predicare. Ad quod
requiritur perfecta etas: quæ est triginta annorum. Vnde
legitur Genes. 41. quod triginta annorum erat Ioseph, quan-
do accepit regimen Ægypti. Similiter etiam 2. Reg. legitur de
Dauid, quod triginta annorum erat, cum regnare cepisset.
Ezechiel etiam in trigesimo anno cepit prophetizare, ut ha-
beretur Ezech. 1. Secundo, quia sicut Chrysost. dicit super
Matth. futurum erat, ut post baptismum Christi lex cessare
inciperet. Et ideo hac etate Christus ad baptismum venit,
quæ post omnia peccata suscipere, ut lege seruata nullus dicat,
quod ideo eam soluit, quia implere non potuit. Tercio, quia
per hoc, quod Christus in etate perfecta baptizatur, datur
intelligi, quod baptismus pari. viros perfectos, secundum illud
Ephes. 4. donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agni-
tionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram etatis ple-
nitudinis Christi. Vnde & ipsa proprietas numeri ad hoc per-
tinere videtur: confurgit enim trigenerius numerus ex ductu
ternarij in denarium. Per ternarium autem, intelligitur fides
Trinitatis, per denarium autem impletio mandatorum legis,
& in his duobus perfectio vite Christiane constitit.

In oratio. in
Epiphani.
Lumina
post med.

Eodem loco.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Gregor. Nazian-
zen. dicit, Christus non est baptizatus, quasi indigeret pur-
gatione, nec quod aliquod illi immineret periculum differen-
do baptismum, sed cuius alij non in paruum redundat pericu-
lum, si exeat ex hac vita non indutus veste incorruptionis,
scilicet gratia. Et licet bonum sit post baptismum baptis-
mum munditiam custodire, potius tamen est (ut ipse dicit) inter-
dum paulisper maculari, quam gratia omnino carere.

Ad secundum dicendum, quod vtilitas, quæ a Christo
prouenit hominibus, præcipue est per fidem, & humilitatem;
ad quorum virumque valet, quod Christus in pueritia, vel
adulescentia non cepit docere, sed in perfecta etate: ad fidem
quidem, quia per hoc apparet in eo vera natura humanitatis,
quod per temporum incrementa corporaliter profecit: & ne
huiusmodi profectus putaretur esse phantasticus, noluit sa-
pientiam suam, vel virtutem manifestare ante perfectam
corporis etatem: ad humilitatem vero, ne ante perfectam etatem
aliqui presumptuose prelationis gradum, & docendi
officium assumat.

Ad tertium dicendum, quod Christus proponebatur ho-
minibus in exemplum omnium, & ideo oportuit in eo ostendi
id, quod competit omnibus secundum legem communem: ut
scilicet in etate perfecta doceret. Sed sicut Greg. Nazianzen. dicit,
non est lex communis, quod raro contingit, sicut nec vna hi-
rundo ver facit. Aliquibus enim ex quadam speciali dispen-
satione secundum Diuinæ sapientie ordinem, & rationem, con-
cessum est præter legem communem, ut ante perfectam etatem
officium vel presidendi, vel docendi haberent: si ut Salo-
mon, Daniel, & Hieremias.

Ad quartum dicendum, quod Christus nec primus, nec vlti-
mus debuit a Ioanne baptizari: quia ut Chrysost. dicit super
Matth. Christus ad hoc baptizabatur, ut confirmaret prædi-
cationem, & baptismum Ioannis: & ut testimonium accipe-
ret a Ioanne. Non autem creditum fuisset testimonio Ioannis,
nisi postquam fuerint multi baptizati ab ipso. Et ideo non
debeuit primus a Ioanne baptizari. Similiter etiam nec vlti-
mus: quia (sicut ipse ibidem subdit) sicut lux solis non expe-
ctat occasum Luciferi: sed eo procedente egreditur, & suo lu-
mine obscurat illius candorem: si & Christus non expectauit,
ut cursum suum Ioannes impleteret, sed adhuc eo docente, &
baptizante, apparuit.

ARTICVLVS IV.

Utrum Christus debuerit in Iordane baptizari.



AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Chri-
stus non debuerit baptizari in Iordane. Veritas
enim debet respondere figuræ. Sed figuræ baptismi
præcessit in transitu maris Rubri: vbi Ægyptij
sunt submersi, sicut peccata delentur in baptismo. Ergo vide-
tur, quod Christus magis debuerit baptizari in mari Rubro,
quam in flumine Iordanis.

2. Præterea, Iordanis interpretatur descensus. Sed per ba-
ptismum aliquis ascendit magis, quam descendat. Vnde etiam
Matth. 3. dicitur, quod baptizatus Iesus confestim ascendit
de aqua. Ergo videtur inconueniens fuisse, quod Christus in
Iordane baptizaretur.

3. Præterea, Transcuntibus filiis Israel, aqua Iordanis
conuersa sunt retrorsum, ut legitur Iosue. 4. & sicut etiam in
Psal. 113. dicitur. Sed illi, qui baptizantur, non retrorsum, sed
in antea progrediuntur. Non ergo fuit conueniens, quod
Christus in Iordane baptizaretur.

Sed contra est, quod dicitur Marc. 1. quod baptizatus est
Iesus a Ioanne in Iordane.

Respondeo dicendum, quod flumini Iordanis fuit, per quem
filijs Israel in terram promissionis intrauerunt. Hoc autem ha-
bet baptismus Christi, speciale præ omnibus baptis-
matibus, quod introducit in regnum Dei: quod per tertiam promissionis
significatur. Vnde dicitur Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex
aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.
Ad quod etiam pertinet, quod Helias diuisit aquas Iordanis,
quando erat in curru igneo rapiendus in celum, ut dicitur 4.
Reg. 2. quia scilicet transcuntibus per aquam baptismi, per i-
gnem Spiritus Sancti patet aditus in celum. Et ideo conue-
niens fuit, ut Christus in Iordane baptizaretur.

Ad pri-

Ad primum ergo dicendum, quod transitus maris Rubri præfigurauit baptismum, quantum ad hoc, quod baptismus delet peccata, sed transitus Iordanis, quantum ad hoc, quod aperit ianuam regni cælestis, qui est principalior effectus baptismi, & per solum Christum impletus. Et ideo conuenientius fuit, quod Christus in Iordane, quam in mari baptizaretur.

Ad secundum dicendum, quod in baptismo est ascensus per profectum gratiæ, qui requirit descensum humilitatis: secundum illud Iacob. 4. Humilibus autem dat gratiam. Et ad talem descensum referendum est nomen Iordanis.

Ad tertium dicendum, quod sicut Augustinus, dicit in sermone de Epiphania. Sicut antea aque Iordanis retrorsum conuersæ fuerant, ita modo Christo baptizato retrorsum peccata conuersa sunt. Veleiam per hoc significatur, quod contra descensum aquarum, benedictionum flumini sursum ferebatur.

DISPUTATIO XXVI.

In duas Sectiones distributa.

De tempore, & ætate, in qua Christus baptizatus est.

DE Christi baptismo, quoad substantiã, & causas eius nihil addendum occurrit iis, quæ in superioribus dicta sunt, quoniam ex Euangelio constat baptismum fuisse Christum baptismum Ioannis, de quo quid fuerit, iam dictum est: cause vero, seu rationes, ob quas Christus baptizatus est, satis sunt in commentario artic. 2. explicatæ. Superest igitur, vt de circumstantiis illius baptismi, ac de ijs, quæ in ipso acciderunt, differamus. Tractat autem D. Thomas in his duobus articulis de circumstantiis temporis, & loci baptismi Christi, & quidem de circumstantia loci nihil dicendum occurrit. Tum quia non videtur esse res magni momenti. Tum etiam, quia rationes omnes, quas D. Thomas affert, allegorice sunt, ac morales. Literalis enim fortasse ratio, ob quam Christus in Iordane baptizatus fuit solum est, quia ille erat aptus, & accommodatus locus, vt ad illi maior hominum multitudo conflueret, vt coram eis Christus à Patre, & à Ioanne manifestaretur. De circumstantia vero temporis accurate disputandum est, quoniam hic iaciendum est fundamentum ad ea, quæ de tempore prædicationis, & mortis Christi, tractanda postea sunt.

SECTIO I.

Quo die, ac mense baptizatus sit Christus.

Prima sententia est Epiphaniæ hæref. 51. non longe à fine asserentis Christum baptizatum esse sexto idus Nouembris. Quæ sententia nullo testimonio ab ipso probatur, nec video, quo niti fundamento possit. Quid vero de ea sentiendum sit, dicā postea.

Secunda ergo sententia est, illum fuisse baptizatum sexto die Ianuarij. Hanc tenent Onuphrius in fastis lib. secundo. Canus lib. vndecimo de locis, ca. 5. ad 6. & Cæsar Baronius in apparatu suorum Annalium, vbi dicit Romanam Ecclesiam semper ab Epiphaniæ sententia abhorruisse, & antiquos Patres, ac ipsammet Ecclesiam hanc sententiam profiteri. Quod quam constanter ab ipso dictum sit, ex dicendis constabit. Nixitur ergo hæc opinio in quadam Ecclesiastica traditione, quæ docet Epiphaniam, seu apparitionem Domini factā Magis, sexta die Ianuarij accidisse (vt supra de illo mysterio agentes, indicauimus). Sed eadē Ecclesiastica traditio docet eodem mense, mensique die Christum fuisse baptizatum. Quod patet primo ex officio Epiphaniæ, vbi

Fr. Suarez. tom. 2.

A sæpe hoc Ecclesia repetit. Vnde in primo responsorio inquit: Hodie in Iordane baptizato Domino, aperti sunt celi; & in quadam antiphona. Hodie celesti sponso iuncta est Ecclesia, quoniam in Iordane lauit Christus eius crimina; & rursum in alia, Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus, hodie in Iordane à Ioanne Christus baptizari voluit. Ac denique in Hymno, Lauacra puri gurgitis celestis agnus attingit, peccata, quæ non derulit, nos abluendo sustulit. Secundo videtur hæc antiquorum Patrum sententia: Aug. ser. 37. de tempore, sic inquit, Quamquam nonnulli hodie Dominum à Magis astiment adorant, alij aquam in vinum mutasse, quidam vero baptizatum illum à Ioanne confirmant, in omnibus tamen filius Dei creditur, in omnibus est vera seculitas, & eodē sensu dixerat sermo 29. In hac die, sine quod stella ortus sui nuntium præbuit, sine quod aquam in vinum conuertit, sine quod in Iordanis undis aquas ad reparationem humani generis suo baptismo consecrauit, in quolibet horum salutis nostre mysteria continentur. Et eodem fere modo loquitur Ambros. serm. 18. 21. & 22. Sed (si recte prædicta verba ponderentur) hi duo Patres non multum fauent huius sententiæ. Nam fatentur quidem alterum ex iis mysterijs hoc die factū esse, incertum tamen relinquunt omnianē, an vnum tantum, & quod illorum fuerit. Et quamuis Ambros. in postremo loco addat hæc verba. Lucet à diuersis alterutrum factum esse credatur, ego vero vtrumque factum esse confirmo: tamen mystice hoc esse intelligendum statim declarat, dicens vñū mysterium in alio contineri. Neque aliter videtur sentire S. Maximus, cui potissimum solet hæc sententia tribui. In sermone enim de Epiphania sic loquitur.

In hac dilectissimi, celebritate, sicut relatu paterne traditionis instrumur, multiplices nobis est seculitas celebrandum. Ferunt enim hodie Christum Dominum vel stella duce à genibus adoratum, vel inuitatum ad nuptias aquas in vina vertisse, vel suscepto à Ioanne baptismo consecrasse fluentia Iordanis. Vbi sub disunctione loquens indicat quidem aliquod ex ijs mysterijs illo die contigisse, non tamen omnia. Et ad eundem modum loquitur Origenes. homil. 8. in diuersos, & Cassian. col. 10. capit. 2. vbi refert Aegyptios solitos esse vñā diē celebrare Epiphaniarum festum, & natalis, ac baptismi Domini, quoniam sacerdotes illius prouincia (inquit) vel dominici baptismi, vel secundum carnem natiuitatis eundē diem esse definiunt. Vbi etiam, sub disunctione loquitur, & occasionem præbet eodem fere modo interpretandi Latine Ecclesiæ consuetudinem, dum nimirum eodem die celebrat illa tria mysteria. Quia certum existimat aliquod ex illis eo die esse factum, & incertum est, quod illorum sit. Quocirca cum in ea festiuitate dicitur. Hodie baptizatus est, vel Magis apparuit, iuxta hæc sententiam non intendit affirmare, reuera omnia hæc facta esse illo die, sed omnia illo die representari, atque in memoriā reuocari: sicut quando Christi Domini resurrectionem, aut mortem collit, etiam dicit eo die Christum esse mortuum, aut ex mortuis surrexisse, cum tamen secundum veram anni computationem, sæpe non sit idem dies, in quo hæc mysteria sunt gesta. Et in aliquibus annis festiuitatibus sæpe hoc accidit, quandoquique Ecclesia ad recolendum aliquod mysterium, vel memoriā alicuius sancti faciendam propter speciales causas eligit diem aliquem præter eum, in quo reuera res ipsæ contigerunt: & nihilominus ita Ecclesia loquitur, ac si illo die facta essent.

Propter hæc est tertia opinio, quæ negat quidem baptismum Christi accidisse sexto die Ianuarij: non tamen affirmat, quo die contigerit: sed incertum relinquunt. Ita opinatur Iansenius capit. 14. Concor. die, vbi negat intercessisse annum inter baptismum, & nuptias: & tamen capit. 18. affirmat nuptiarum miraculū sexta die Ianuarij factum esse. Eodem modo opinatus est Benedictus Pererius lib. 11. in Daniele, par. 1. Nam quæstio. 6. affirmat Christum sexto Ianuarij conuertisse aquam in vinum: & tamen quæ

X 2 stione

stione 7. verisimilius credit non annum integrum, sed paucos menses fluxisse à die baptismi vsque ad nuptiarum diem. Præterea Franciscus Toletus super Ioannem, cap. 2. annot. 15. credit esse probabilius, magisque traditioni Ecclesiæ consentaneum, tria illa mysteria non accidisse vno, eodemque die: non tamen docet, quod ex his mysterijs sexto Ianuarij die contigerit. Rursus Cæsar Baronius in Annalibus, anno 31. negat etiam supradicta tria mysteria facta esse eodem die. Fundamentum est, quia Patres supra relati non copulative, sed subdiunctive loquuntur: sentiunt ergo non omnia, sed solum aliquod ex ijs mysterijs illo die factum esse. Accedit quod si baptismus, & nuptiæ eodem die acciderunt, necesse est inter illa annum integrum fuisse transactum: quia certissimum est non fuisse facta eodem numero die. Nam vt constat ex Euangelio Matt. 3. & 4. Ioan. 1. & 2. postquam Christus baptizatus est, ieiunauit quadraginta diebus, deinde vero discipulos vocauit, priusquam nuptiarum miraculum patraret, ergo, vt eodem die factum sit, necesse est, vt integer annus reuolueretur: hoc autem crediti difficile est. Primo, quia D. Petrus Act. 1. dicit Christum cœpisse docere, & congregare discipulos à baptismo Ioannis, ergo non est verisimile integrum annum transigisse nullo signo, seu miraculo facto. Secundo, quia in baptismo Christus declaratus est à Patre doctor, & magister hominum, ergo statim cœpit eo fungi munere, non ergo per annum distulit. Tertio est vrgens locus apud August. serm. 154. de tempore, vbi affirmat baptismum Christi, & miraculum nuptiarum die Dominico accidisse, quod esset impossibile, si post annum eodem die mensis vtrumque esset factum. Addi præterea possent hoc loco difficultates, quæ ex opposita sententia sequuntur circa ætatem Christi, & tempus mortis eius. Sed de his postea oportunitus.

Inter has sententias difficile est ferre iudicium, quoniam pendet ex historia valde incerta: existimo tamen (vt consequenter, & cum aliquo fundamento loquamur) alterutrum è duobus esse dicendum, scilicet vel omnia illa tria mysteria eodem die esse facta, vel de nullo illorum definite constare an illo die fuerit factum, necne? Vnde miror Iansenium, Pererium, & Baronium, quomodo, cum illud primum negent, potuerint de aliquo illorum determinate tam constanter affirmare illo die factum esse, vt dicant esse vetustissimam traditionem, vsum, & obseruationem Ecclesiæ, communemque Doctorum sententiam, cum nullum sit maius fundamentum ad hoc asserendum de vno, quam de alio, neque ipsi vllum afferant: sed vnusquisque id eligat, quod aliis opinionibus vni cuique propriis videtur magis consentaneum. Vnde fit, vt inter se etiam non conueniant, dum alius de baptismo, alius de nuptiarum miraculo, id affirmet.

Quocirca, ne cogamur omnia in dubium vocare, sentiendum existimo baptismum Christi, & alia etiam duo mysteria sexto die Ianuarij facta esse. Primo, quia id negare de festo Epiphaniæ videtur sane communi fidelium consensui reluctari, & ijs testimonijs, quæ de tempore aduentus Magorum supra retulimus, non est autem maior ratio certitudinis (vt dixi) de hoc mysterio, quam de reliquis. Secundo, quia reuera Ecclesia in officio Epiphaniæ multum huic sententiæ fauet. Quod vero quidam dicunt elegisse Ecclesiam illam opinionem, vt probabilem ad suam instituendam festiuitatem, nos omnino iuuat. Non enim contēdimus nostram sententiam esse certam: sed vt probabiliorem esse eligendam, quandoquidem Ecclesia illam eligit. Tertio, licet fateamur Augustinum, & Ambrosium locis citatis non affirmare omnia illa eodem die esse facta: sed solum referre quosdam ita de vno my-

sterio sensisse: quosdam verò de alio; non tamen referunt quenquam negasse, aliquod ex ijs mysterijs eo die esse transactum. Vnde sine causa illi imponitur, quod insinuent non omnia, sed vnum tantum illo die accidisse, sed solum præferunt dubitationem aliquam, vel incertitudinem. Ita tamen vt in eam sententiam magis propendeant, & iuxta illam simpliciter loquantur, vt videlicet in eodem Augustino sermone 36. de tempore, & Ambrosius d. sermone 18. & 20. Sanctus verò Maximus licet vtatur coniunctione disiungente vel videtur tamen eam pro copulante posuisse, quod Latinis frequens est. Et colligi potest ex verbis, quæ subiungit, Et quam recte nobis tria hæc mysteria vno acta die prædicantur, qui ineffabile Trinitatis arcanum vno Dei sub nomine confitemur. Et eodem sensu videntur loquuti Paulinus in natali 9. Sancti Felicis, & Isidorus libr. 1. de officiis Eccles. capit. de Epiphania, qui simili modo loquendi vtuntur. Quod euidenter est, præsertim apud Isidorum, qui sic inquit, siquidem eodem die idem Iesus etiam Iordanis lauacro tingitur; diuiso quoque Spiritus Sancti descendens testimonio Dei filius esse declaratur, cuius diei nomen ex eo, quod apparuit genibus, Epiphania nuncupatur: dixerat autem eodem die Magis apparuisse. Deinde non est contemnenda auctoritas Bernardi, qui sermone primo de Epiphania expresse id affirmat, dicens. Nec sola hæc apparitio, sed altera quadam (sicut à Patribus nostris accepimus) hodie celebratur, quæ etsi longo post tempore, facta creditur hoc ipso die, Vnde sermonem secundum sic exorditur, Tres apparitiones Domini legimus vno quidem die: sed non vno tempore factas. Idem repetit sermone tertio. Et Petrus Chrysologus sermone 57. vbi post multa in fine ita concludit. Christus diuerso tempore, vno, eodemque die Magorum munere, aquæ mutatione, atque Patris voce Dei trino testimonio noscitur, siquæ de trina ostensione Christi Epiphania vnâ, & sacra solemnitas. Et similiter sermon. 160. postquam multis verbis idem docuerat, concludit, Tribus autem modis hodie Christi Deitas est probata, Magorum munere, Patris testimonio, aquæ mutatione in vinum, quia tribus stare omne verbum Scriptura firmavit auctoritas. Ad hæc Hieronym. Ezech. 1. exponens illa verba: In quinta mensi, dicit mensis illum fuisse Ianuarium, & in illa die significatum esse baptismum (in quo aperti sunt Christo celi), & Epiphaniarum diem hucusque venerabilem. Quibus verbis indicat Christum apparuisse, & baptizatum esse quinta die Ianuarij. Sed fortasse propter propinquitatem dierum non existimauit hoc ad figuram, seu metaphoram referre: Insinuat ergo Hieronymus hanc sententiam, & satis aperte significat baptismum, aduentumque Magorum in eundem incidisse diem: Huc accedit Albinus libr. de Eccles. officijs, capit. de baptismo Domini, qui memoriæ prodidit ieiunium Christi absolutum esse decimo quinto Kalen. Mart. quem diem constat, esse quadragesimum à die sexto Ianuarij. Deinde vero subdit post anni reuolutionem inchoasse miracula, aquas in vinum conuerrendo. Tandem disertis verbis docet, illa tria mysteria eodem die esse facta. Denique in hanc sententiam propendit Leo Papa epistol. 4. vbi dum reprehendit eos, qui in die Epiphaniæ solemniori catechumenos baptizabant, cum iuxta Ecclesiæ Romanæ ritum in die Paschæ, & Pentecostes baptizandi sint, subdit in hunc modum. Si quis autem Epiphania festiuitatem, quæ in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc existimat privilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant, quod in ea die Dominus ad baptismum sancti Ioannis accesserit, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam susserationem, neque ad eandem pertinuisse virtutem, quæ ex Spiritu Sancto renascuntur, quæ ex Deo nascuntur. Vbi quamuis eam sententiam non referat, vt certam, eam tamen probabiliorem esse sentiens non reiecit, vt aliorum rationem excludat:

Fran Tol.

Cas. Baron.

Matth. 3.
& 4.
Ioan. 1. & 2.

Act. 1.

Augustin.

August.
Ambros.Baptismus
Christi quæ-
do contige-
rit.
Paulin.
Isidor.
Bernard.

Pet. Chrys.

Hieronym.

Albinus.

Leo Papa.

dat: sed illam potius, vt veram, amplecti videtur, vt a
aliam causam Ecclesiasticam consuetudinis præbet.

Responsio ad argumens in op. positum. Caietan.
Neque contra hanc sententiam vrgent coniectu-
res, quibus tertia opinio fulciebatur, quin potius pri-
ma, & secunda possunt hanc sententiam compro-
bare. Nam verisimilius est inter baptismum, & nu-
ptias annum intercessisse, vt Caietan. etiam sentit
quæstione 43. artic. 3. & patet. Quia Christus post
baptismum recessit in eremum, & ieiunauit qua-
draginta diebus, post ieiunium vero statim rediit

Epiphon.
Nazareth, ibique aliquo tempore commoratus est
(si Epiphonio loco superius commemorato credi-
mus, ex Euang. enim probari id nõ potest.) Quia et-
iam Luc. c. 4. statim post historiam ieiunij, & tentatio-
nis subdat: *Et regressus est Iesus in virtute spiritus in Ga-
lileam; & fama exiit per vniuersam regionem de illo, &
ipse docebat in synagogis eorum; & magnificabatur ab om-
nibus; & venit Nazareth, vbi erat nutritus.* Tamen
hoc (quod Lucas narrat) non accidit statim post ie-
iunium, & tentationem, sed postquam iam Christus
aliquo tempore predicauerat, & multa ediderat mi-
racula, vt ex ipsis verbis Euangelistæ, & ex Mat. 13. &
Marc. 6. colligitur. Vnde Augustin. li. 2. de consensu
Euangelist. capit. 17. hunc reditum Christi in Gali-
læam (quem Lucas memorat) post coniectum in
vincula Ioannem accidisse testatur. Nihilominus
tamen verisimile est, etiam post ieiunium rediisse
Nazareth, & nonnunquam inter suos fuisse versa-
tum, interdu vero venisse, vbi baptizabat Ioan-
nes, vt illi esset occasio sæpius de ipso reddendi te-
stimonium. Quod valde conueniens, ac neces-
sarium fuit, vt Christi fama, & prædicatio, ac testi-
monium Ioannis de ipso, per omnium aures vulgare-
tur, & ora. Et aliquo modo indicatur capite 1. Ioan-
nis, vbi narratur, Christum semel, & iterum venisse
ad Ioannem, qui statim viso Christo illum demon-
strabat, dicens: *Ece agnus Dei, & tamen ex contextu
historiæ Euangelicæ, & ex ijs, quæ supra diximus,
constat illi omnia accidisse post baptismum, & con-
sequenter post ieiunium, & tentationem, quæ im-
mediate baptismo successerunt. Deinde postquam
satis fuerat Christus Ioannis prædicatione mani-
festatus, antequam miraculum in nuptijs edidisset,
cepit prædicare, & discipulos vocare, ac congrega-
re, vt constat ex Ioannis secundo. Vbi legimus Chri-
stum habuisse discipulos, qui nuptijs & miraculo
presentes assuerunt, & capit. 1. Andream, & alterum
discipulum Ioannis adhæsisse Christo, eumque in-
terrogasse, Magister vbi habitas? Qua interrogatione
satis indicantur (vt ibi Caietanus notat) iam tunc
habitu fuisse Christum publicum magistrum, &
doctorem. Quod certe nomen breviori tempore,
quam vno anno, sibi comparare non poterat, igitur
nihil mirum est (imo id congruit quidem) quod an-
nus integer inter baptismum, & nuptias intercesse-
rit. In quo non desuit Christus doctoris munere fun-
gi, quamuis non statim cœperit patrare miracula.*

Chrysostom. Quia (vt Chrysostomus ait homil. 22. in Ioan.) prius
debeuerunt congregari discipuli, qui deuoti attenderent mi-
raculis, quæ fieri incipiebant, usque in fide, quam concepe-
rant, confirmarentur.

Ad tertiam vero coniecturam negatur vtrum-
que mysterium baptismi, & conuersionis aquæ in
vinum die Dominico accidisse. Nec est vlla ra-
tio probabilis, quæ id persuadeatur. Illud autem
Augustini testimonium non omnino cogit, vt huic
rei fidem faciamus, præsertim cum inter illos ser-
mões falso nonnulli sint Augustino adscripti, ex
quibus ille existimari vnus potest. Quia neque Au-
gustini styli redolet, neque aliquid habet Au-
gustino dignum. Vnde in quibusdā decretis, quæ
sexæ synodo tribuuntur, in octauo vbi narrantur
mira opera, quæ Deus die Dominico patravit, inter
alia ponitur baptismus Christi, non tamen nuptia-
rum miraculum.

*Quo ætatis sue anno Christus Dominus fuerit ba-
ptizatus.*

*D*Vo sunt hac in re certa. Primum est, Christum
fuisse baptizatum circa annum decimum quin-
tum Imperij Tiberij Cesaris. Hoc ex Euangelio a-
liquo modo colligi potest. Nam Luca tertio asse-
ritur anno decimo quinto Tiberij, factum esse ver-
bum Domini super Ioannem, vt ad prædicandum,
& baptizandum exiret. Ex quo necessario sequitur
ante illum decimum quintum annum Christum
non fuisse baptizatum, vt per se constat. Additur
vero ibidem, cum baptizaretur omnis populus, Ie-
sum etiam baptizatum fuisse: non tamen expresse
eodem anno baptizatus dicitur. Non vero id est
probare difficile. Primo, quia (vt hic notauit Diuus
Thomas articulo tertio ad quartum ex Chrysosto-
mo homilia quarta imperfecti) Christus, neque pri-
mus, neque vltimus fuit à Ioanne baptizatus. Quia
vt conueniēter posset Ioannes testimoniu de Chri-
sto reddere, oportuit, vt prius ad baptismum populi
multitudo conflueret. Neque etiam vsque in finem
differre baptismum suum decebat Christum, quia
oportuit, vt adhuc Ioanne docente, ac baptizante,
manifestaretur, & inciperet docere, ac baptizare
Christus, vt nulla inter eos videretur esse contentio,
discipulosque suos ad Christum mittere, & reliquos
omnes in fide eius confirmare Ioannes posset, vt læ-
tius docuit Diuus Thomas quæstione præcedent.
articulo quinto. Et vtramque partem insinuat Lu-
cas illo verbo: *Cum baptizaretur omnis populus, Iesu
baptizato, &c.* Nam in hoc verbo continetur, vna
cum alijs accessisse Christum ad baptismum, atque
adeo venisse ante ipsum alios, alios post ipsum. Ba-
ptismus autem Ioannis non durauit nisi per annum,
& paulo amplius, quod ex historia Euangelica, &
ex ijs, quæ supra diximus de ætate, in qua obiit Ioan-
nes, manifeste datur intelligi: necesse est ergo, Chri-
stum fuisse baptizatum eodem anno, quo Ioannes
baptizare primum cœpit, & ante impletum illum.
Baptizatus ergo est ipso anno decimo quinto Im-
perij Tiberij, vel certe non multo post illum. Im-
pletum. Neque enim affirmare simpliciter possum,
euenisse id intra ipsum annum decimum quintum.
Quia non mihi constat, quò mense illius anni Ioan-
nes baptismum inchoarit: quanquam verisimile
sit, ex quo Ioannes baptizare cœpit, Christum non
per plures menses distulisse baptismum. Tum quia
oportebat in operibus pietatis, & humilitatis prom-
ptum se, & paratum ostendere, atque alijs exem-
plo esse. Tum etiam, quia sciebat tempus prædica-
tionis Ioannis futurum esse perbreue, & ideo ex-
pediens esse non differri manifestationem suam.
Et confirmari potest, nam (vt colligitur ex primo,
& secundo capit. Ioannis) quando Christus fecit mi-
raculum in Cana Galileæ, non idum erat Ioannes
coniectus in vincula, ergo (si vera sunt, quæ sectione
præcedenti docuimus) baptizauit Ioannes toto illo
anno à Christi baptizante, vsque ad nuptias, ergo
cum eius baptismus paulo amplius durauerit, ne-
cesse est, dicamus, Christum prope initium bap-
tismi Ioannis, statim ac populi multitudo cœpit
ad illum concurrere, fuisse baptizatum: ergo ba-
ptizatus fuit eodem decimo quinto Imperij Tibe-
rij. Et addi potest coniectura: Quia Lucas non tam
propter Ioannem Baptistam, quam propter Chri-
stum texuit historiam, designauitque tempus, &
annum, in quo Ioannes cœpit baptizare, ergo non
solum voluit indicare initium baptismi Ioannis, sed
multo magis initium baptismi Christi: credendum
est ergo eodem anno vtrumque factum esse. Et ita
sentiant Patres omnes, & expositores Euangelio-
rum, & Eusebius in Chronico.

*Circa annu
decimum
quintum Ti-
berij impe-
rantis ba-
ptizatus
Christus,
Luc. 3.*

*D. Thom.
Chrysostom.*

*Differre ba-
ptismum
suum Chri-
stus cur non
debeat.*

Ioan. 1. & 2.

Euseb.

Tertul.

Ad. I.

Trigesimum
circa a-
tis annum
agens bap-
tizatur Chri-
stus.

Luc. 3.

D. Thom.

Greg. Naz.

Baptismi
Christi pro-
rogandi cau-
sa qua fue-
rit.

Caiet.

Hinc colligitur grauem esse errorem, qui apud A
Tertullianum legitur, libr. contra Marcion. capit.
15. nimirum cepisse Christum Dominum sese ho-
minibus manifestare anno duodecimo Imperij Ti-
berij. Siue enim hoc ex propria sententia asserat, si-
ue ex Marcione referat, nulla ratione potest consti-
tere. Tum quia Christus nec docere cepit, nec mi-
racula edere, nec alio modo se publice manifestare
ante baptismum, ut omnes docent, & ex Euangelio
non obscure colligitur, & manifeste testatur Petrus
Apostolus. primo illis verbis. Incipiens à Baptismate Ioan-
nis. Denique quia Præcursor præire debuit ante Do-
minum, sed Ioannes non cepit sese populo osten-
dere, nec baptizare ante decimum quintum annum
Tiberij, ergo nec Christus.

Secundo est certum, ac de fide, Christum bap-
tizatum fuisse circa trigesimum ætatis suæ annum. Id
enim testatur Lucas eodem loco ijs verbis: Et ipse Ie-
sus erat incipiens quasi annorum triginta. Quæ verba
sine dubio referuntur ad ea, quæ immediate præce-
sserant. Factum est, cum baptizaretur omnis populus, Iesu
baptizato, & orante apertum est celum: dicitur ergo
Christus fuisse quasi triginta annorum, quando hoc
accidit. Et hæc est communis omnium Patrum, scri-
ptorumque sententia. Quam vero ob causam usque ad
tantam ætatem baptismum Christus distulerit, va-
riæ rationes redduntur à Patribus (ut hic D. Thom.
articul. 3. notauit) quæ partim morales sunt, partim
allegoricæ. Quas fere Greg. Naz. oratio. 39. his ver-
bis complexus est. Quæ res nobis documento esse debet,
purgationem, animique submissionem prius adhibendam
esse, nec concionandi prouinciam ante suscipi debere, quam
ad spiritualis, & corporeæ ætatis perfectionem ventum fue-
rit, latius oratione 40. At dices, Christus tricesimo anno
baptizatus. idque cum Deus esset, ut me baptismum vrgere
inbest? Cum Deum dixisti, quæstio abs te soluta est. Primo,
nam ille purgatio ipsamet erat, nec purgatione indigebat.
Secundo, Nec vero ei quicquam periculi metuendum erat
baptismi prorogandi. Tertio, Ille tricesimo anno, ac non
prius sese indicauit, ne ostentationis cuiusdam argumen-
tum, docendique maturitatem haberet. Quinto, Quoniam
ei saluterum mundo supplicium subeundum erat, omnia,
quæ ad passionem spectabant, ad passionem concurrere o-
portebat, nimirum ostensionem, baptismum celestis testi-
monium, prædicationem, multitudinis concursus, mira-
cula, & velut corpus vnum fieri non diuisum, nec tempo-
rum interuallis disunctum, & interruptum. Addi vero
potest (si literalem, ut ita dicam, rationem specte-
mus) Christum non fuisse antea baptizatum, quia
Ioannes antea baptizare non cœperat: ideo autem
Ioannes ante illud tempus baptizare non cœperat,
quia, cum esset illius baptismi primus institutor, non
poterat ante maturam, & perfectam ætatem tatum,
tamque graue munus inchoare. Præsertim cum opor-
teret prius prædicare poenitentiam, & per eam ho-
mines ad baptizandum ritum omnes in admiratione
rapere, ac deinde in ipso baptismo testimonium de
Christo præbere. Quæ omnia in minori ætate, nec
grauiter, nec conuenienter fieri poterant.

His ergo positis, grauis, & difficilis controuersia
superest, quomodo intelligendum sit, Christum
baptizatum esse agentem quasi annum trigesimum.
Cuius decisio pendet ex vero sensu illorum verbo-
rum Lucæ. Et erat Iesus incipiens quasi annorum triginta.

In qua re prima sententia est, Christum Do-
minum venisse ad baptismum, anno vigesimo no-
no ætatis suæ, in fine eius, antequam illum expleret,
& trigesimum inchoaret, ut sensus sit, erat Iesus
quasi incipiens annum trigesimum ætatis, nondum
enim inceptat: sed iam iam prope ad illum acce-
debat. Ita Caietanus Lucæ tertio. Cui sane non mul-
tum repugnant verba Euangelistæ. Nam licet mul-
ti dicant (& probabile sit) nec participium illud, In-
cipiens, ad ætatem, sed ad manifestationem, & præ-

dicationem Christi, esse referendum: nec aduerbium
illud, quasi, referri ad participium Incipiens, nec di-
minuere illud: sed pertinere ad ætatem triginta an-
norum: Quia Lucas non dicit. Quasi incipiens annorum
triginta, sed incipiens quasi annorum triginta. Ita ut sen-
sus planus sit, erat Iesus, quando baptizatus est, &
cepit manifestari quasi annorum triginta: Licet
hoc (inquam) ita sit: nihilominus posset litera com-
modè admittere illum sensum. Recte enim dici po-
test quasi triginta annorum ille, qui fere iam com-
pleuit vigesimum nonum annum, quamuis trigesi-
mum nondum attigerit, quia hanc vim habet illud
aduerbium quasi.

Et hæc sententia probanda necessario est illis au-
thoribus, qui existimarunt, Christum trigesimo æ-
tatis anno passum esse, quanquam eorum sit opinio
improbabilis, ut infra dicam. Item posset facile de-
fendi hæc opinio Caietani, si vera esset sententia
Epiphani, asserentis Christum baptizatum esse mē-
se Nouembri. At vero positis ijs, quæ diximus, &
ipse etiam Caietanus admittit, nempe Christum bap-
tizatum esse sexto Ianuarij, nullo modo potest hæc
opinio defendi. Quia Christus explebat ætatis an-
num vigesimum quinto die Decembris, ergo si non-
dum expleuerat vigesimum nonum ætatis annum,
attigisset quidem ille tantummodo vigesimum octa-
uum, & tredecim dies, ergo non potuit dici quasi
triginta annorum, eo quod fere vigesimum nonum
ætatis annum impleverat. Accedit, quod nullus vete-
rum hanc dicendi modum sequutus est.

Secunda sententia extremè contraria est Chri-
stum triginta annos natum, attingentemque iam
trigesimum primum per aliquot menses, aut saltem
dies ad baptismum venisse. Primus author, qui di-
fertis verbis hanc scripsit sententiam fuit Beda, li-
bro de ratione temp. capite quadragesimo quinto,
quem ex recentioribus multi, & graues scriptores
sequuntur, & ex antiquis Patribus in illius confir-
mationem adducuntur multi. Quorum præcipuus
est Ignatius epistola quinta ad Trallianos ubi fici-
quit. Et expleuit tribus annorum decadi bus vere baptiza-
tus est à Ioanne. Quibus verbis (ut multis placet) ex-
presse dicit expleuisse iam trigesimum annum. Quod
confirmare videtur Chrysostomus homilia deci-
ma in Matth. dicens, post triginta annos Iesum venisse
ad baptismum, eodemque modo loquitur Euthymius
Matth. 3. in principio, & Bernardus sermone primo
Epiphaniæ dicit. Cum trigesimum annum expleisset in car-
ne. Sed hæc Patrum testimonia (si exacte confide-
rentur) parum fauent huic sententiæ. Nam ijs locis
non tractant, an omnino completus esset trigesi-
mus annus ætatis Christi, quando ad baptismum
peruenit, sed loquuntur communi, & vulgari mo-
do: in communi autem sermone vere, ac proprie
dicitur aliquid factum esse expletis triginta annis,
etiāsi durante anno trigesimo factum sit. Sicut
Lucæ secundo dicitur. Postquam consummati sunt dies
octo, ut circumcideretur puer, cum tamen durante o-
ctauo die sit circumcisus. Et Christus dixit Marc. 8.
Post tres dies resurgam, cum tamen in ipsa die tertia
resurrecturus esset. Est præterea ad hanc expositio-
nem confirmandam optimum testimonium desum-
ptum ex canonibus collectis ex Græcis Synodis per
Martinum Bracarensem Episcopum, ubi can. 20. sic
dicitur. Si quis triginta ætatis suæ non impleuerit annos,
nullo modo presbyter ordinetur, etiāsi valde sit dignus,
quia & ipse Dominus trigesimo anno baptizatus est, &
sic cepit docere, constat autem non fuisse necessarium
integrum complere trigesimum ætatis annum, ut
quis posset ordinari. Ex antiquis ergo Patribus non
potest hæc sententia satis suaderi: ex Scriptura au-
tem probari etiam nequit hunc esse sensum Lucæ,
persuaderi vero potest, verba Lucæ commodè, &
sine vlla vi hunc sensum pati. Quia aduerbium illud
Quasi, non semper diminutionem: sed interdum excef-

excessum, licet exiguum significat. Vt cum dicimus, *Hic sunt quasi mille homines*, significare possumus, vel pauciores esse, quam mille, vel paulo plures. Exemplum est in Evangelio Marc. 8. *Erant, qui manducabant, quasi quatuor millia*, & similiter Ioan. 6, dicuntur manducasse, *quasi quinque millia*, & tamen Matth. 14, dicitur fuisse numerus *quinque millia virorum*, exceptis parvulis, & mulieribus. Quocirca, si hic modus dicendi magis conuenit cum humana historia, & chronologia, sustineri potest non repugnare Scripturæ. Ex Scriptura vero, aut alia Ecclesiastica autoritate probari satis non potest.

Tertia opinio est, Christum post expletum vigesimum nonum annum, & inchoatum trigessimum, ad baptismum venisse. Hæc est communis sententia, vt Abulens. 3, & Lyranus Luc. 3, adnotarunt. Videturque esse expressa D. Th. ar. 3, dicentis, Christum fuisse in trigesimo anno baptizatum. Nam in omni sermone proprietate illud dicitur fieri tali anno, quod fit illo durante, antequam ad finem deueniat. Et eodem fere modo loquuntur Patres antiqui, Nazianzenus oratione 39 & 49. *Trigesimo* (inquit) *anno baptizatus*. Hieron. Ezechiel. 1. *Triginta annos natus venit ad baptismum, quæ in homine perfecta ætas est*. Et vitur exemplo Num. 4, vbi sacerdotes dicuntur ministrare à tricesimo anno, & supra, vbi sine dubio requiritur, quod attingerint tricesimum annum, non quod expleuerint. Sicutiam August. lib. 3, de mirabilibus sacra Scripturæ, ca. 5, dicit, Christum trigessimum annum agentem venisse ad baptismum. Orig. hom. 1, in Ezechielem fere nihil aliud dicit, quam Euangelista & eodem fere modo Iustinus Martyr in dialogo cum Triphone ait, *Christus per annos ferme triginta expectauit, donec Ioan. præiret baptismum predicando*, Theophyl. Luc. 3, solum dicit, *cum triginta annorum esset Dominus, baptizatus est*, & eodem fere modo loquitur Ambros. Luc. 3, *Quin etiam Iren. lib. 2, c. 39, dicit Christum incepisse annum tricesimum, & Euseb. lib. 1, Historiæ, cap. 10, Incipiebat* (inquit) *tunc tricesimum annum*. Denique Epiphanius ex professo hoc suadet heres. 51. Et hæc sententia optime verbis Lucæ consonat. Quia aduerbium illud *quasi*, & proprius, & frequentius ad diminuendum ponitur, quam ad augendum: ergo, cum dicitur Christus fuisse *quasi annorum triginta*, recte exponitur nondum illos expleuisse.

Potest etiam hæc sententia humana historia, seu chronologia confirmari, quanquam & illa etiam tam incerta sit, vt facile ad alias detorqueri quoque sententias possit: si tamen nonnulla statuamus probabiliora, magisque recepta principia, videbitur fortasse opinio hæc verisimilior. Primum est, Christum natum esse quadragesimo secundo anno Imperii Augusti, vt ex sententia Clementis Alexandrini, Eusebii, Epiphani, ac Bedæ ostendimus in prioribus, disputatione sexta, sectione prima, in fine. Alterum est, Augustum imperasse annos quinquaginta sex integros, numerando imperium eius ab initio consulatus. Nam eodem fere die, quo mense Augusti consul renunciatus est, post quinquaginta sex annos, qui fuit ætatis eius septuagesimus sextus, defunctus est. Vnde, si imperium ab initio Triumuiratus arcessamus, idem est annorum numerus, duobus tamen exceptis mensibus, qui soli à consulatu ad Triumviratum vsque fluxerunt. Hæc chronologiæ ratio sumpta est ex Dion. libro. 48, & 56, histor. Roman. Eutropio libro septimo eiusdem historiæ. Suetonio capite quinto, octauo & sequentibus. Quam amplecti videtur Eusebius in chronica, tribuens Augusto prædictos quinquaginta sex annos imperii. Et idem colligitur ex Tertulliano libro contra Iudeos capite octauo. Dicit enim, Christum natum esse quadragesimo primo anno imperii Augusti, & illo imperante quindecim annis vi-

xisse, ex quo aperte efficiuntur dicti quinquaginta sex anni, quicquid sit, an ea, quæ assumit, vera sint. Idem sentit Nicephorus, libr. primo, capit. 17, *quatenus dicit, Augustum vixisse supra septuaginta quinque annos, id est, fere septuaginta sex*. Constat enim ex prædictis historiis eum accepisse consulatum pridie, quam vigesimum ætatis annum imple-ret, super sunt ergo quinquaginta sex anni imperij. Quod ergo ibidem ait Nicephorus imperasse quadragesima tribus annis intelligendum est de tempore monarchiæ, quod fere quadragesima quatuor annorum fuit iuxta veriorum sententiam. Denique hanc computationem sequitur Onuphrius, libro secundo fastorum, & fere reliqui recentiores. At vero Epiphanius in Anchorato, & Beda libr. de sex ætatibus, sex menses addunt huic imperio Augusti. Quia fortasse non ab initio consulatus, seu triumuiratus illud numerant: sed ab eo tempore, quo missus est à Senatu cum exercitu contra Antonium, quod sex menses durauit ante consulatum, vt constat ex Suetonio, & illo etiam tempore dici potest imperasse. Quod ergo Iosephus lib. 18. Antiquit. c. 7, tribuit imperio Augusti quinquaginta septem annos cum dimidio, ab omnibus rejicitur. Nisi Augusti imperium computetur à morte Iulij Caesaris, quæ duobus fere annis antecessit primum Augusti consulatum teste Appiano libro quarto de bello ciuili, Quamuis alij vnum tantum annum intercessisse contendunt, vt late Baronius in apparatu annalium. Ex his ergo constat vixisse Christum, imperante Augusto, quatuordecim annos integros, & præterea octo menses, qui sunt à fine Decembris, quando natus est Christus, vsque ad finem Augusti, quando Augustus mortuus est, si ergo ijs quindecim addamus Tiberij imperantis annos, in cuius decimo quinto anno diximus Christum fuisse baptizatum, efficiuntur prædicti triginta anni inchoati, & nondum expleti.

Sed vt hæc collectio clarior sit, oportebit tertium principium adiungere, scilicet Tiberium statim post mortem Augusti absque vlla intermissione, seu aliquis interregni interpositione, imperij gubernacula suscepisse. Memoriam enim proditum est, eodem fere die, quo Augustus obiit, Tiberium tanquam filium heredem adoptatum ab Augusto, regnare coepisse, vt videre licet in Onuphrio supra, & aliis. Ex quo etiam intelligitur Tiberium coepisse imperare mense Augusto, vel (vt alii volunt) Septembri, quia eo tempore mortuus est Augustus. Vt hinc etiam concludamus (supposita sententia, quam præcedenti sectione elegimus) Christum fuisse baptizatum quinto mense anni decimi quinti Imperii Tiberii (tot enim menses fluxerunt à fine Augusti vsque ad sextum diem Ianuarii) vixit ergo Christus imperante Tiberio quatuordecim annos, & menses fere quinque, qui additi supra quatuordecim annos, & menses octo, quos sub Augusto vixerat, efficiuntur viginti nouem anni integri, & aliquot dies. Vltimo tandem confirmari potest hæc sententia ex Olympiadibus Eusebii, quarum computatio ad texendas chronologias, & temporum series, omnium probabilissima existimatur, & tamen ille ponit baptismum Christi anno quarto Olympiadis ducentesimæ primæ, cum natiuitatem eius posuisset anno tertio Olympiadis centesimæ, nonagesimæ quartæ, quæ si recte computentur, aperte colliguntur triginta anni non integri, sed inchoati.

Hinc etiam explicatum relinquitur, quot menses, aut dies agerentur anni tricesimi Christi Domini, quando baptizatus est. Epiphanius enim supra consequenter dicit, attigisse tunc Christum decimum mensem tricesimi anni. Sed hoc non potest consistere cum ijs, quæ de die baptismatis sunt dicta, neque cum Romana chronologia, vt à nobis est explicata. Nam si Christus fuisset baptizatus mense Nouembri

Marc. 8.
Ioan. 6.
Matth. 14.

Abulens.
Nico. Lyran.
D. Thom.
Trigesimo a-
tati inchoa-
to anno ba-
ptizatus est
Christus.
Greg.
Nazian.
Hieronym.
Num. 4.

Augustin.
Orig.

Iustin. Mart.

Theoph.

Ambros.

Iren.

Euseb.

Epiphani.

Clem. Alex.

Euseb.

Epiphani.

Beda.

Anni impe-

rii Augusti

quati.

Dionys.

Eutrop.

Sueton.

Euseb.

Tertullian.

Niceph.

Onuphr.
Epiphani.
Beda.

Sueton.
Ioseph.

Appian.

Baron.

Onuphr.

Epiphani.

post expletum vigesimum nonum ætatis annum, non potuisset baptizari intra decimum quintum annum Imperij Tiberij. Sed oportebat illum explorari, & inchoari decimum sextum, saltem per tres menses, qui inter Augustum, & Nouembrem intercedunt, quod facile supputari potest ex ijs, quæ diximus. Dicendum est ergo, tantum per tredecim dies inchoasse annum tricesimum. Totidem enim, & non plures fluxerant à vigesima quinta die decembris, quando iuxta Ecclesiasticam traditionem natus est, & vigesimum nonum ætatis annum impleuerat vsque ad sextam Ianuarij, quando illum baptizatum diximus. Ex quo etiam obiter colligitur baptizatum à Ioanne Christum post tres, vel ad summum, post quatuor menses, ex quo baptizare cœperat. Quia id oris est facere inchoato iam decimo quinto anno Imperij Tiberij, Christus autem baptizatus est quinto mense illius anni. Vnde etiam verisimile sit Ioannem incepisse prædicationem suam fere in initio anni decimi quinti Imperij Tiberij, & ita esse Lucæ narrationem intelligendam.

Obiectio.

Vna vero superest obiectio, quia iuxta hanc sententiam non videntur commodè exponi illa verba, Erat Iesus, incipiens quasi annorum triginta. Non enim rectè dicitur esse aliquis, quasi triginta annorum, eo quod solum per tredecim dies, tricesimum annum inchoauerit: sed potius cum ad complementum fere tricesimi anni peruenerit. Respondetur quacumque ratione hæc verba exponamus, in omni rigore, & proprietate prædictum sensum admittere. Nam si participium illud, Incipiens, referatur, non ad Christi ætatem, sed ad manifestationem, seu prædicationem (vt supra dicebam) nihilominus rectè dicitur Christum fuisse, quasi triginta annorum, quando prædicare cœpit. Quia iam annum agebat trigesimum. Nam illud: Quasi, præcise sumptum non indicat multum vel parum defuisse inchoatum, & nondum impletum. Et ita videtur exponere Origenes hom. 28. in Lucam. & clarius Euthymius Luc. 3. Si vero participium illud, Incipiens, referatur ad ætatem Christi, adhuc est clarior, & euidentior expositio. Si enim simpliciter dixisset fuisse, quasi annorum triginta, ambiguum relinqueretur, esse in initio, vel fine, aut medio illius anni. Additum ergo est participium, Incipiens, ad indicandum ita fuisse, quasi triginta annorum, vt trigesimum inchoaret.

Orig.
Euthym.

Obiectio.

Responsio.

Theophyl.

Dices hoc sensu superflua est illa particula, Quasi, satis enim fuisse dicere. Erat incipiens annorum triginta. Respondetur, si ita esset simpliciter scriptum, existimari posset, vel saltem dubitari, an incipere habere triginta annos completos, & ideo ad rem magis explicandam vtraque vox addita est. Ita videtur intellexisse Theoph. apud quem ita legimus. Et ipse Iesus incipiebat esse ferme annorum triginta.

ARTICVLVS V.

Vtrum Christo baptizato, celi debuerint aperiri.

218.
Inf. q. 49 a. 5.
3 & 4 d. 18.
a. 6. q. 3. 2 &
d. 22 q. 3 a. 1.
4 & op. 60.
cap. 9.



Quintum sic proceditur. Videtur, quod Christo baptizato non debuerint celi aperiri. Illi enim aperiendi sunt celi, qui indiget intrare in celum, quasi extra celum existens. Sed Christus semper erat in celo: secundum illud Ioann. 3. Filius hominis, qui est in celo. Ergo videtur, quod non debuerint celi aperiri.

2. Præterea, Apertio celorum, aut intelligitur spiritualiter aut corporaliter. Sed non potest intelligi corporaliter: quia corpora celestia sunt impassibilia, & infrangibilia: secundum illud Iob. 37. Tu forsit cum eo fabricatus es celos, qui solis dissimilis, quasi ære fusi sunt. Similiter etiam nec potest intelligi spiritualiter, quia ante oculos filij Dei celi ante a clausi non

fuerant. Ergo videtur inconuenienter dici, quod baptizato Christo, aperti fuerint ei celi.

3. Præterea, Fidelibus celum apertum est per Christi passionem, secundum illud Hebr. 10. Habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi. Vnde etiam nec Christi baptismo baptizati, si qui ante eius passionem decesserint, celos intrare poterunt. Ergo magis debuerunt aperi celi Christo patiente, quam eo baptizato.

Sed contra est, quod dicitur Luc. 3. Iesu baptizato, & orante, apertum est celum.

Respondetur dicendum, quod sicut dictum est, Christus baptizari voluit, vt suo baptismo consecraret baptismum, quo nos baptizaremur. Et ideo in baptismo Christi ea demonstrari debuerunt, quæ pertinent ad efficaciam nostri baptismi. Circa quam tria sunt consideranda. Primo quidem principalis virtus, ex qua baptismus habet efficaciam: quæ quidem est virtus celestis. Et ideo baptizato Christo, apertum est celum, vt ostenderetur, quod de cetero celestis virtus baptismum sanctificaret.

Secundo operatur ad efficaciam baptismi fides Ecclesia, & eius qui baptizatur, vnde & baptizati fide in proficiunt: & baptismus fidei dicitur sacramentum. Per fidem autem inspicimus celestia, quæ sensum, & rationem humanam excedunt. Et ad hoc significandum Christo baptizato aperti sunt celi.

Tertio, quia per baptismum Christi specialiter aperitur nobis introitus regni celestis, qui primo homini præclusus fuerat per peccatum. Vnde baptizato Christo, aperti sunt celi: vt ostenderetur, quod baptizatis pater via in celum. Post baptismum autem necessaria est homini iugis oratio, ad hoc quod celum introeat. Licet enim per baptismum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati, non impugnans interius, & mundus, & demones, qui impugnant exterius. Et ideo significanter dicitur Luc. 3. quod Iesu baptizato, & orante, apertum est celum, quia scilicet fidelibus necessaria est oratio post baptismum. Vel vt detur intelligi, quod hoc ipsum quod per baptismum celum aperitur credentibus, est ex virtute orationis Christi. Vnde significanter Mat. 3. dicitur, quod apertum est celum, id est, omnibus propter eum, sicut si imperator alicui pro alio petenti dicat, Ecce, hoc beneficium non illi do, sed tibi, id est, propter te illi: vt Chrys. dicit super Matth.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Chrys. dicit super Matth. sicut Christus secundum dispensationem humanam baptizatus est, quamuis ipse propter se baptismum non indigeret, sic etiam secundum humanam dispensationem aperti sunt ei celi, secundum autem naturam diuinam semper erat in celis.

Ad secundum dicendum, quod sicut Hier. dicit super Mat. celi aperti sunt Christo baptizato, non refectione elementorum, sed spiritualibus oculis, sicut & Ezechiel in principio voluminis sui celos apertos esse commemorat. Et hoc probat Chrys. super Matth. dicens, Quod si ipsa creatura: scilicet celorum rupta fuisset, non dixisset, aperti sunt ei: quia quod corporaliter aperitur, omnibus est apertum. Vnde etiam Marc. 1. expresse dicitur, quod Iesus statim ascendens de aqua vidit apertos celos: quasi ipsa apertio celorum ad visionem Christi referatur. Quod quidem aliqui referunt ad visionem, dicentes, quod circa Christum baptizatum tantus splendor fulsit in baptismo, vt viderentur celi aperti. Potest etiam referri ad imaginariam visionem, per quem modum Ezechiel vidit celos apertos. Formabatur enim ex virtute diuina & voluntate rationis talis visio in imaginatione Christi: ad designandum, quod per baptismum celi aditus hominibus aperitur, prout scilicet Christus vidit iam baptismum sanctificato apertum esse celum hominibus: quod tamen etiam ante videtur sciendum.

Ad tertium dicendum, quod per passionem Christi aperitur celum omnibus, sicut per causam communem apertiois celorum. Oportet tamen hanc causam communem aper-